



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. Qualis consensus requiratur ad valorem Matrimonii?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

362 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

ad hoc datur, ut conjuges castè sese diligent,  
& pacificè cohabitent, infirmitates mutuas sup-  
portantes, ac matrimonio ritè utentes, id est, non  
sequendo impetum libidinis, sed legitimam pro-  
lis procreationem, ejusque honestam & piam  
educationem intendendo.

Minister hujus Sacramenti est solus Parochus,  
vel alius Sacerdos, de ipsius, vel Ordinarii li-  
centia; licet non desint, qui ministros hujus  
Sacramenti docent esse contrahentes.

Solum Parochum, &c. esse hujus Sacramenti  
ministrum, constat ex Trid. sess. 24. cap. 1. ubi  
præcipit, quatenus Parochus in celebratione ma-  
trimonii viro & muliere interrogatis, ac eorum  
consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimo-  
nium conjungo, &c.* cumque illa verba sint vera,  
& Parochus tunc non conjungat sponsos in Ma-  
trimonium sub ratione contractū considera-  
tum, (contractus enim antè per consensum  
utriusque exteriū manifestatum celebratus est)  
necessē est, fateamur, quod Parochus eos con-  
jungat in matrimonium sub ratione Sacramenti,

C A P U T III.

*De Consensu, & Contractu Matrimoniali.*

§. I. *Qualis consensus requiratur ad  
valorem Matrimonii?*

P.I. **A**N ad valorem contractū matrimonialis  
absolutè requiratur consensus in copulā?

- ¶. Neg. Quia fuit verum matrimonium inter Beatam V. M. & B. Josephum, ut constat ex Matth. 1. & Lucæ 2. atqui B. Virgo non potuit absolute consentire in copulam, utpotè quæ vovisset Virginitatem, ut patet ex S. Aug. lib. de Virg. cap. 4.
2. An ad valorem matrimonii sufficiat consensus internus?
- ¶. Regulariter loquendo, opus est consensu exteriùs per verba de præsenti expresso. Ita Flor. quod & praxis Ecclesiæ confirmat.
- Dixi : *Regulariter loquendo*, quia extraordinariè possunt adhiberi signa æquivalētia, ut V.G. si mutus contrahat.
3. An ad valorem contractū matrimonialis sufficiat consensus exteriùs manifestatus?
- ¶. Neg. Saltem ubi Trid. est receptum, quia, ut Trid. sess. 24. cap. 1. debet insuper exteriùs manifestari coram Parocho &c. Et duobus, vel tribus testibus, qui non tantum physicè debent esse præsentes, sed & moraliter.
4. An consensus parentum requiratur ad valorem matrimonii?
- ¶. Neg. Contrarium definitum est in Conc. Trid sess. 24. cap. 1. de Ref. interim qui ineunte matrimonium parentibus rationabiliter invitit, peccant graviter, quia reverentia jure naturæ parentibus debita, postulat, ut filii, & filiae consulant parentes in actionibus magni momenti.

§. An

364 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

Q. An peccet Parochus conjungendo aliquos matrimonio parentibus invitatis?

R. Aff. Et hoc vel maximè, dum minorennés subsunt potestati parentum, quando illos conjungit Sacramentaliter, & notorium est, vel ex propria confessione conjugum, vel publicâ famâ, aut circumstantiis parentes esse rationabiliter invitos, quia cooperantur peccato alieno, & sacrilegæ susceptioni Sacramenti.

An ad valorem matrimonii sufficiat contractus metu extortus vide supra 213. ubi materiam hanc discussam reperies.

C A S U S X.

Parochus interrogat sponsos, an habeant consensum parentum, & hi respondent se non habere; hinc Parochus recusat eos conjungere, quo intellecto, sponsi in ejus præsentia, & coram testibus, ipso recente, satis tamen advertente, quid agatur, verba, quibus de more contrahi solet, proferunt: an subsistat matrimonium?

R. Matrimonium sic contractum in ratione sacramenti nullum est. Siquidem Parochus hujus Sacramenti verisimiliter minister est, non contrahentes, atque verbis illius ratio formæ attribuenda est. In casu tamen posito matrimonium in ratione contractus valere publici juris est.

§. 2. An